



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90117999**

§. 24. Ecclesiæ Senonsis libertas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

tas superioribus annis Romanorum potentissimi auferebant, nec ideo Pontificibus Callisti Antecessoribus mutire licebat; at ipse dona Fidelium in suam reduxit potestatem, quas pro necessitate Ecclesiæ impendit. Nulla vero avaritiæ suspicio in Callistum cadebat, Anglis enim suadere auditus est; irent potius, piæ peregrinationis causa, ad S. Jacobum quam Romam, ob longitudinem itineris, eandemque Indulgentiam illis concedebat, qui bis Compotellam, ac qui Romam semel, commearent.

Sæcul. XII.  
A.C. 1121.

§. XXIV.

*Ecclesiæ Senonensis Libertas.*

Rex Franciæ accepta a Papa epistola, ex qua captum fuisse Burdinum edocet, gratulabundus dedit responsoriam in qua dicit: *Pater dulcissime, cum Sententiam, in Archiepiscopum Senonensem latam, relaxasti, animum nostrum ex parte mitigasti, sed quoniam ad tempus est relaxata, suspensum vehementer ac dubium reddidisti. Videtur enim aliqua adhuc vincendi spes superesse Archiepiscopo Lugdunensi. Ut autem verum fatear, potius regni nostri totius incendium, ac capitis periculum, quam subjectionis hujus opprobrium sustinere malle.* Tum obsequia a Franciæ Regibus Ecclesiæ Romanæ præstita commemorat, seque ipsum, uti

to. 10. Cont.  
p. 875.

*Hist. Eccles. Tom. XVI. I i hō-*

Sæcul. XII.  
A.C. 1121.

honorem Pontifici exhiberet, quamvis gravi laboraret infirmitate, ad Remense Concilium accessisse. Et prosequitur: *Si quid igitur apud te valet amor noster, conservet Ecclesia Senonensis libertatis jus, quo hucusque fruebatur, & per te non fiat ancilla, subjectione novissime & imprudenter excogitata; Hæc enim clam, furtim, & Clericis Senonensibus, Episcopis illius provinciae, & Rege insciis, qui Ecclesiasticæ Libertatis Assertores sunt, statuta fuisse dicitur. Dignitas ista Ecclesiæ est, non Personæ, si igitur Archiepiscopus de quodam jure decrevit, quod in ipsius non erat potestate, si promisit, quod promittere non debebat, Ecclesia tamen Senonensis, quod suum est, non amisit, nes antiqua libertate privata est. His igitur ita se habentibus, cave, dulcissime Pater, ne Civitas Lugdunensis, quæ in alieno est regno, de nostro floreat detrimento, & dum me Principi amico subicere vis, inimicos efficias. Si Rex Francorum in levi petitione contemnitur, nulla spes est, majora impetraturum, & repulsam Dignitati suæ indecoram timens, nihil amplius petet. Nempe illa ætate urbs Lugdunensis, Regni Burgundici pars, Imperatori parebat.*

\* in Actis  
Conc.

§. XXV.

*Conventus Herbipolensis.*

In Germania Henricus Imperator, cum statutis